

vapores caput, visum, auditum gravantes sua nitro-  
so-salina martiali vi extingvit.

*Confectarium II.*

Fons noster ob spiritum nitroso-salinum marti-  
alem plus præstat, magisque conducit, quam fontes  
corporaliter cum metallis mixti, proinde his tutior  
adhibetur omnibus in digestionibus & secretionibus  
læsis, morbisque chronicis & impuritatibus sangvi-  
nis, scabie & ulceribus, aperit enim subtilissime vi-  
scerum obstructions, lenit humorum acrimoniam,  
consumit phlegma superfluum: Et specialiter scor-  
butum, malum hypochondriacum, salia coagu-  
lantia synoviam, & consequenter podagram, dolo-  
res capitis, cordis, lienis, vapores caput, visum, auditum læ-  
dentes, sua temperata vi nitroso-salina martiali extingvit, lenit,  
deprimatque, per urinam ac sudorem naturæ excrementa pro-  
mover, in febribus putridis tartareis, calore viscerum & partium  
hectico, in cachexia & discoloratione faciei suos præstitit effe-  
ctus hæctenus felicissimos, inque aliis affectibus suum præstare  
potest usum, si modo ulterius examine & experimentis per-  
scrutatur, veluti ulteriorem non huius modo, sed & Suhlani ma-  
nifeste sapidis fontis, martialem corporalem mixturam ac  
vim promittentis, perscrutationem subiectissi-  
me sum communicaturus.

